

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

LIBER

Nam quiuis uestrum sequitur uestigia uulpis.

Mens stulta est uobis omnibus atq; leuis.

Linguam etenim aspicitis hominum diuersaque uerba :

Quod faciunt sed non cernere uultis opus .

Hæc ille. pisistratus autem cum illius fugam didicisset: sic ad eum scripsit .

P isistratus Soloni salutem .

**N**eq; solus grecorum tyrannidem arripui: neq; mihi re alienam usurpaui. Quippe genus a Cecrope duco: id enim mihi meo iure uendico: quod athenienses olim cum iureiurando firmassent: codro illiusq; genti præbituros: postmodum abstulerat. Cæterum in deos uel in homines nihil alias pecco. leges quas ipse atheniensibus dedisti: seruari: atq; secundum eas uiuere iubeo. Et quidē melius seruantur q̄ possent: si multitudinis imperio res ageretur: permitto enim neminem iniuriam inferre: ac Tyrannus ego præter dignitate & honorem nihil a plebe differo: solis eis stipendiis contentus quæ iis quoq; q̄ ante me regnarūt debebant. Deniq; Atheniensium singuli decimas frugum suarum separant: non in usus nostros consumendas: uerum sacrificiis publicis commodiq; comunibus: & si quando bellum contra nos emerferit in sumptus deputandas: tibi equidem nihil succenseo q̄ mentem meam consiliumq; detexeris: quippe id potius beniuolentia Ciuitatis q̄ mei odio detexisti: ac præterea q̄ ignorares cuiusmodi ego Rex futurus essem: q̄ iusti rectiq; tenax abs te factum scio: id enim si didicisses æquo animo & conatus meos forte tolerasses: & te fugam haudquaquam comisisses. Redi igitur domum plena fide mihi & iniurato credes nihil ingratum passurum a pisistrato Solonem. Nosti enim neminem etiam ex inimicorum numero mali quippiam a me perpeßum. Deniq; si placuerit frui nostra amicitia: inter primos eris. Nihil enim in te fraudis infidelitatisq; conspicio. q̄ si aliter habitare athenis nolueris pro arbitrio tuo id facies: tantum ne nostri gratia patria excideris. Vale. Hæc pisistratus. Solon autem humanæ uitæ terminum. lxx. annos esse ait. Videtur autem id præclare statuisse si quis parentes non enutrierit: is ignobilis & obscurus esto: similiter & qui patrimonii uersuram fecerit: is item sectatum ocium oibus accusare uolentibus obnoxius esto. porro Lyfias in oratione quam contra Niciam scripsit Draconem asserit eam scripsisse legem: Solonemq; tulisse: eum item qui nequitiae ac flagitiis insignis esset tribumali publicisq; suggestis arcendum statuisse. Athletarum quoq; præmia castigata moderatione correxit: & ei quidē qui in olympia uicisset quingentas dragmas: qui uero in isthmia ei dari centum constituit: eademq; ratione in certaminibus ceteris. Esse enim incongruum huiusmodi honores modum desiderare. solummodo eos qui in præliis occubuissent præmiis esse illustrandos: quorum filios publice nutriendos erudiendosq; præcepit. quo sane aiati singuli fortiter ac strenue in bellis dimicabant: sic polyzelus: sic Cynægirus: sic Callimachus: sic oēs qui in Marathonis expeditione pugnauerunt: sic præterea Armodius: Aristogiton: Miltiades :